

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	margine
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 38, circa 1, quaestio 2. (fol. 41vb)

Utrum sit aliquis finis unum tamen a cuius bonitate sit voluntas bona?

Secundo quaeritur, utrum sit aliquis finis unum [tamen]² a cuius bonitate sit voluntas bona?

Et videtur quod non, sed videtur quod sint plures, quia Christus est unus et caritas est alius, sicut patet *Ad Romanos* X,³ finis legis Christus. Sed idem est finis legis divinae et voluntatis bonae.

Item, finis praecepti caritas, *I Timotheum* I.⁴ Sed ad eundem finem tendit voluntas ad quem praecepta, ergo finis est caritas.

Contra, habita caritate non quiescit voluntas. Sed si esset finis, quiesceret, quia adepto fine quiescunt omnia, quae sunt ad finem.

Respondeo, dicendum, quod in operibus nostris non est inconveniens intendere duplicem finem, non tamen equi primum, sed unum principalem et ultimum, et alium sub illo et ordinatum sub illo. Sicut finis medicine est sanitas, et tamen sanitas et omnia opera creaturae rationalis intendunt summum bonum tamquam ultimum finem, quo

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 38, c. 1, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Add. in marg.

³ Rom. 10:4

⁴ 1. Tim. 1:5

habito omnia habent quietem et pacem, sicut dicit *Psalmus*,⁵ qui posuit fines tuos pacem.

Caritas autem potest dici finis, quia ea coniungimur (sic) fini et dat rationem finiendi aliis virtutibus. Quem (sic) pascere pauperum est actus misericordiae, sed caritas dat sibi rationem finiendi, scilicet propter Deum, quia si non propter Deum pasceret, non habet rationem boni nec finis. Unde caritas est ratio tendendi in debitum finem, nisi autem unum propter alterum, utrobique tamen unum.

Et per dicta patet responsio ad argumenta.

⁵ Ps. 147:3.